

ipse immortalitatem consequatur: est enim ὁ ἔχων τὴν ζωήν εἰς ἑαυτῷ καὶ μόνος αὐθάρετος, vitam habens in se ipso, unusque, qui incorruptibilis existit. Quin potius, ut nos, et si moriamur, haud tamen unquam vere moriamur, verbo veritatis suæ nos regenerat. En! ergo eum Patrem quoque optimum & benignissimum. Meminit ipsius hoc loco Apostolus, quando se (ut id pluribus infra docebitur) Galatarum matrem tantum non Patrem, haud obscure appellat, subinnuens, DEUM parentis locum in spirituali eorum generatiōne tenere. Evidem Paulum patrem Corinthiorum I. Ep. c. IV. 15. se dixisse, aliquibus videtur, cum ita ad eos scribit: ἐὰν μηρίς παιδαγωγὸς ἔχῃς ἐν χειρὶ, ἀλλ' ἡ πολλὸς πατέρες. ἐν γὰρ χειρὶ ἵντες διὰ τῆς ἐναγγελίας ἐγώ μας ἐγέννησα, etiamsi innumeros habeatis pedagogos in Christo, non multos tamen habetis patres: siquidem in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. At enim si contextui locisque parallelis proprius attendimus, stare fortassis posset ea sententia, quæ per unum Patrem Corinthiorum ipsum Jesum Christum intelligi; Paulumque hic etiam tantum matri assimilari statuit, ut sensus sit: ego instar matris, in Jesu Christo, tanquam parente, per Evangelium, tanquam per semen spirituale, vos genui. Et ne credas, de matre non usurpari phrasin activam γεννᾶν γὸν, genarare filium, sed passivam tantum, εἰς αὐτῆς γεννηθῆνας generari ex ipsa, en! tibi locum Luc. I. v. 57. extantem, ubi de Elisabetha legitur, quod γέννησε γὸν filium, genuerit.

§. X. Tanto magis hoc loco Parens in generatione spirituali nobis audit *situs Deus*. Deus autem trinus,